



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 10. Transylvania a Bethlemio Gabore Turcarum ope misere devastata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. sæculi eodem anno millesimo septin-
A. C. 1613. gentesimo decimo tertio rursus gravi
 pestilentia fuerit infecta.

§. X.

*Transylvania a Bethlenio Gabor Tur-
 carum ope misere devastata.*

Panon. nova **D**um hæc interea in Comitibus ultro
Et vetus citroque agitantur, allatus est
pag. 306. Nuntius, quod Sandares Bassa, quem
Han. part. I. Achmetes Turcaram Imperator cum in-
fol. 342. genti exercitu in Bethlenii Gaboris o-
Ortel. Rediv. pem submiserat, in Transylvania Luga-
pag. 33. tium expugnarit, ac per portam fer-
 ream, quam vocant ad Devam, irrum-
 pens omnem transitum intercluserit:
 ab altera vero Transylvaniæ parte non
 procul a Cronstadio Oglii Bassa per an-
 gustas montium fauces penetrans, fulis-
 fugatisque præfidiis totum Barsacen-
 sem tractum inundarit, ingentemque
 Janifarorum numerum in suburbium
 Cronstadiense introduxerit: insuper e-
 tiam nuntiatum est, quod Turcæ in
 Hungaria tumultuantes plurima oppida
 ad fidei Sacramentum Sultano præ-
 standum maxima vi compulerint, re-
 luctantes vero bonorum deprædatione,
 cædibus, & incendiis mulctarint. Hæc
 ad Cæsarem fuere perscripta: interim
 vero Agriensis Bassa, cum adversus Tur-
 carum

Sæc. XVII.
A. C. 1613.

carum insultus ab Hungaris & Silesiis
arma parari intelligeret, missis ad For-
gatium Cæsarei exercitus Ducem Le-
gatis significabat, quod pacem cum
Cæsare & Hungaris conservare etiam-
num paratus esset, unice autem Tran-
sylvaniam invasisset, ut Bathorii sævi-
tiam plecteret, eo autem nunc Varadi-
num usque propulso nil aliud superesset,
nisi ut Bethlenio Gabori Transylvaniae
Principatus vendicaretur. Enimvero
paulo post eundem Sandares Bassa Tran-
sylvaniam Principem constituit, ea ad-
monitione addita, ut alieno periculo
edoctus in Principatus Regimine abo-
minandis Bathorii vestigiis non insiste-
ret, sed Consiliarios partim ex Hunga-
ris, partim ex Transylvanis seligeret,
nihilque incio Sultano aggredere-
tur: Idem quoque Bassa datis ad Forgatium
litteris eum ulterioris irruptionis metu
liberum esse iussit, eo quod Sultanus
indicta etiam capitis poena inhibuisset,
ne Bathorio e Transylvania profligato
Hungariam infestaret. Paucis post die-
bus Bathorius, ut in Principatum re-
stitueretur, cum Sandare Bassa de Va-
radino in eius potestatem tradendo age-
re decreverat, id vero cum sui animi
advertissent, eum gladiis in cubiculo suo
jugulare statuerunt, cumque id non
succederet, proximo die, ubi ad lu-
stran-

Sæc. XVII. strandum exercitum foras egrediebatur, illum quinquaginta ex suis militibus in infidiis collocati explosis ferreis fistulis die vigesima septima Octobris trucidarunt. Quo facto Giecyus Varadinum Bethlenio Gabori tradidit.

§. XI.

*Comitia Claudiopoli a Bethlenio Gabori celebrata.**Mercur.**tom. 10. l. 1.**pag. 89.*

Die trigesima Octobris Bethlenius Gabor cum Transylvaniæ Statibus comitia Claudiopoli habuit, in quibus decreto publico conclusum. I. Ut a Bathorio proscripti restituerentur. II. Status omnes, nulla habita personarum ratione libero Religionis exercitio fruerentur. III. Princeps pacem cum Turcis, vicinis Regionibus, & maxime cum Cæsare coleret, foedusque cum Moldavis & Valachis iniret. IV. Senatam ex tribus Nationibus eligeret, cunctisque avita eorum privilegia facta servaret. V. Legibus conservandis & justitiæ administrandæ operam daret. VI. Electionem liberam nullatenus impediret, & confirmationem de super a Sultano de novo impetraret. VII. Si Princeps sua rursus potestate abuteretur, Officiales Provinciarum id impedirent, & a præstito juramento liberi